

ipse se multo melius quam a me fieri possit: elegantia sua legentibus commendaret: ad quas digne predicandam eius ipsius eloquentia opus esset. **N**ec me deterret: quod damnatus fuerit eius studio aliquando Hieronymus: cum extatica visione tractus ad iudicis eterni tribunal: et quam esset interrogatus: pro christiani nomine quod in metu trepidationeque profitebatur. Ciceroniani sibi nomen obijci audiuit. neque enim res ipsa damnata est sed fortassis eius studium vehementius: sine qua profecto vix sacre littere: certe non tanta cum voluptate legerentur. Hec igitur ut cetera quoque dotes quas strictim commemoravi: multos acerbissimosque illi emulos comparuere. quorum ut improbitati cederet: Roma migravit. et qui doctor late clarissimus habebatur: Gregorio Nazianzeno in disciplinam se tradidit. Postquam studia cum de frequentissima urbe cessisset: ad heremum se transfudit. et qui in urbe omnium urbanissimus ho-

mines perpeffus erat bestiales: in desertissima heremo bestias est expertus humanas. Ibique leo natura seuissimus imperium eius pertulit: cum hic homo natura mitis i se seuiret. Roma igitur Bethleem permutauit: diuitique ex urbe non tam pulsus quam cedens: elegit ibi pauper vivere: ubi pauper christus est natus: et inde salutem petere: unde ortus est auctor salutis. Quid enim aduersus malignitatem tutum visum esse poterit: quando tanta virtus persecutore non caruit: quod si quid nobis tale accidat: ex eius casu consolari nos ipsos debemus. Interea vero maledicos beneficiendo vincere: et eorum in nos odium virtute patientie mansuetudinisque superare: illo prestante qui viuunt et regant in secula seculorum. Amen.

Diuus Hieronymi epistolarum partem prime volumen feliciter finit.



S. LUDGERVS EPVS.

